



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

XLVIII. Privilegia Lectorum in Archigymnasio Sapientiæ Rom. pro
Lectoribus Collegii FF. Carmelitarum in Civitate Leonina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

farum Palatii Apostolici Auditores judicari, & defini debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque,

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Martii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

XLVIII.

Conceduntur Lectoribus Carmelitis Collegii Ecclesiastici in Civitate Leonina de Urbe privilegia Lectorum itidem Carmelitarum in Archigymnasio Sapientiae.

Ab hoc Pontifice Const. ed. 1702. Jun. 27. P. 2. concessa fuere quaedam jura Studentibus Caenobii S. Mariae Transpontinae. Et ab Inn. XIII. Const. ed. 1723. Jul. 14. P. 3. conceditur Magistris Provinciae Portugalliae dict. privilegium suscipiendi Lauream Doctoratus.

Dat. 27. Mar. 1704. An. 4.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Concessionis a Cardinalibus Deputatis d. Collegii; eorumque praesentibus oblatae.

EXposuerunt Nobis nuper dilecti filii nostri Leander tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Colloredus, & Josephus Renatus Sancti Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Card. Imperialis respective nuncupati super regimine, & administratione Collegii Ecclesiastici Civitatis Leoninae, seu Burgi de Urbe auctoritate Apostolica deputati, quod cum dilectus Filius Petrus Thomas Sanchez Frater expresse professus Provinciae S. Angeli Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo in Sacra Theologia Magister, ac in Conventu ejusdem Beatae Mariae Transpontinae d. Ordinis commorans lectionem Theologiae Moralis a nonnullis annis in eodem Collegio cum magno illius Convictorum fructu, atque progressu exercuerit, & adhuc de praesenti exerceat, ipsi Leander, & Josephus Renatus Cardinales, ut debitus virtuti honor rependatur, ac idem Petrus Thomas, necnon alii Conventus, & Ordinis praedictorum Religiosi, si quos in posterum ad lectionem hujusmodi exercendam deputari contigerit, eo alacrius ad subeundos ejusdem lectionis labores incitentur, illos aliquo honorificentiae premio ex nostra, & Sanctae Sedis Apostolicae benignitate decorari plurimum desiderant. Nos ipsorum Leandri, & Josephi Renati Cardinalium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, dictumque Petrum Thomam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasti-

cis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eorumdem Leandri, & Josephi Renati Cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Petro Thomae, & pro tempore existentibus Fratribus Conventus, & Ordinis hujusmodi in eodem Collegio Lectoribus, ut omnibus, & singulis privilegiis, gradibus, honoribus, & praeminentiis, quibus Lectores Ordinis praedicti, qui in Collegio, seu Gymnasio Sapientiae nuncupato de eadem Urbe legentes tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possint, & poterunt in futurum pari modo, & absque alia differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

§. 1. Decernentes eandem praesentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Petro Thomae, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & defini debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Conventus, & Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

Confirmantur Literae Patentes Nuncii Portugalliae de Alternativa Officiorum in Provincia Portugalliae Ord. Eremitarum Sancti Augustini.

XLIX.

A Nuncio instituta fuit dicta Alternativa auctoritate recepta ab Inn. XII. Brevi ed. 1698. Dec. 13. P. 8. quod infra refertur. Innoc. XII. Constitut. ed. 1698. Aug. 19. P. 8. extat concordia circa Alternativam in Provincia Narbonae, & Burgundiae. Et hujus Pontificis Const. ed. 1708. Aug. 14. P. 8. confirmatur abrogatio Alternativae in Provin. B. M. V. de Gratia in Ind. Occident.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

PRO parte charissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliae, & Algarbiorum Regis Illustris Nobis nuper expositum fuit, quod cum alias felic. record. Innocentius Papa XII. praedecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas ad tollenda dissidia, quae inter Fratres Provinciae Portugalliae Ordinis Eremitarum Sancti

Species facti praecis hic, sed pluribus in sequentibus Literis exponitur.

Augustini